



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 302. At illi accepta pecunia fecerunt ficus erant edocti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

volumus hoc fieri debet vt vidistis in Christo crucifigendo, renitente etiam Pontio Pilato præfide, certe Barabbam adeo facinorosum eximendi periculo mortis, nobis non defuit artificium. Nam latro & seditiosus iste ecce iustificatus & dimissus est; Christus vero iniustus declaratus, tantus, flagellatus, crucifixus: En sic tuadebimus ei tam præfidi quam populo de Christi resurrectione, vobis tantum tacentibus rei veritatem, & quod suggessimus asserentibus.

Domine Deus meus quam periculosum est deficere à te via veritatis, & vita! Ecce pontifices, seniores populi, ita turpiter labuntur & impingunt in meridie. O mali fructus scissæ vestis pontificiæ! Domine odisti omnes Ecclesiæ ministros & pontifices qui loquuntur mendacium, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus, ego autem in misericordia tua sperabo & adijciam super omnem laudem tuam vt non deficiat fides tua, quam hic obtenebrare conantur pontifices tui, gens tua electa, & seniores populi de tua resurrectione sancta, & gloriosa.

§. 301. *Et securos vos faciemus.*

Contra omnes, & quoscunque qui resurrectionem Christi affirmare & defendere conabuntur, modo vos mēientes stabiles, & firmi manseritis, pro nobis nobiscum negantes veritatem resurrectionis, si fors capiemini, & ad carceres & vincula ducemini pro veritate eruenda, somnum & negligentiam vestrā in corpore Christi custodiendo excusabimus venia dignam; nec ex ea quidpiam mali accidere poterit, scit enim ipse Præses Romanorum nostram hic, non ipsius causam aut Romanorum agi, adeoque ipsius nostri gratiam Iesum qui vocatur Christus damnauit ad crucem, si igitur tam mollis fuit in Iesu ad nostram instantiam iniuste damnando multo molliorem se exhibebit in vobis ad nostram instantiam absoluendis, & liberandis. Ita isti mendaciorum architecti, vti & nostri Reformati. Sed quid hi tandem in extremo indicij die agent?

Domine Iesu, pecuniæ licet obediant omnia ad tempus, attamen non semper, nec contra veritatem tuam, quam reuelasti paruulis, nec finem eam operiri, vt maneat occulta in sempiternum, maxime quando patitur honor tuus & gloria tua, & salus animarū, ita gloriosam tuam resurrectionem noluisti occludi sed reuelari in gloriam & resurrectionem multorum. Per eam da obsecro gratiam mihi vt vere omnia & sincere agam non fide aut falso quicquam dum viuere dabis, vt in vijs tuis ambulem semper qui es ipsa veritas via & vita.

§. 302. *At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti.*

Quid aliud poterat sperari ab his simplicibus, idiotis, pauperibus Ethnicis,

Ethnicis, nullius conscientia militibus, quibus quasi proprium est sperare & ambire pecunias, quam, ut acciperent pecunias à principibus oblatas cum affluerint etiam rapere ipsas & occultatas. O Deus! ô natura! quantum operantur malum homines mali per pecuniã, eheu! temporale & æternum sibi aliisque malum.

O Iesu paupertime, ô Iesu ditissime & liberalissime, longe obsecro sit à me per gratiam tuam ut ita amem pecunias ut velim propter eam minimum peccatum perpetrare, vel procurare: sed verè possim numerari in tet viros illos de quibus dicitur Beatus vir, qui non speravit in pecuniæ thesauris.

§. 303. *Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos usque in hodiernum diem.*

Scilicet verbum iniquum istud mendacij non surrexisset Christum, sed ablatum eius corpus fuisse è sepulchro per suos discipulos, & hoc mendacium diuulgatum tam per Principes populi & seniores, quam milites pecunia ad hoc emptos vbique & constanter apud gentiles & Iudæos, & primo quidè per magnam illam ciuitatem Hierosolymam ubi conuenerant omnis generis, & linguarum populi, deinde his medijs per Prouincias, oppida, pagos & castella, licet contrarium prædicarent Apostoli Iesu, affirmantes etiam cum periculo carceris, flagellationum, crucis, & vitæ, se se eum vidisse rediuiuum, comedisse & bibisse cum eo, & colloquutos multoties, postquam à mortuis resurrexerat, imo terigisse manibus, pedes osculatos, contractasse. Imo alios multos, quorum corpora è monumentis post Christi mortem surrexerunt, & venerunt in sanctam ciuitatem, & acclamauerunt, Christi resurrectionem quasi testes & præcones annuntiantes audisse ut qui eos suscitauit multo magis se ipsum suscitauerit. Et tamen contrarium apud Iudæos vsque in hodiernum diem creditur & sustinetur. Tantæ perfidiæ & tam duræ ceruicis effectus est hic populus Iudaicus per impiam & maledictam illorum principum persuasionem.

Deus meus & omnia da gratiam ut nunquam eo deueniam malitiæ ut contra veritatem doceam, vnde vel scandalum vel hæresis vel aliquod peccatum oriri possit, sed è contra in omnibus & per omnia mandata tua docendo obseruem ut fidei quam ex gratia tua semel accepi meritum nunquam amittam, sed in dies in me augeatur, Deus meus.

§. 304. *Verbum istud vsque in hodiernum diem.*

Potest hoc verbum etiam sic capi, ut sit sensus iste, Mendacium fuit quod Iudæorum primores confinxere, verum autem & verbum fuit resurrexisse Dominum, Ideoque, ut assolet veritas vincere mendacium, ita in